



U.Schr.

100 : 4

+4042 570 01





ORATIO FUNEBRIS,

quam,

ex Auctoritate & Consulto

SENATUS ACADEMICI,

*Viro Nobilissimo, Excellentissimo & Expertissimo,*

DN. FRIDERICO

GODEFRIDO

BARBECK,

Phil. & Med. Doctori, hujusque in

Academia Regia Duisburgensi per totos annos xxxIII.

Professori Ordinario & Primario longe celeberrimo;

Facultatis Medicæ nuperrime Decano; jam pie defuncto;

*Post deductas rite Exsequias, & peracta  
in Templo Majore iusta,*

Vespera Diei Iv. Januarii, anni Epochæ  
a N. CHR. receptæ cl. lccc. IIII.

*in majore Academia Auditorio pullato,  
ad lumina accensa,*

*coram maestissima frequentissimaque Panegyri  
dixit*

Dr. HENRICUS CHRISTIANUS DE HENNIN,

*Medicine, ut & Historiar. Elog. Gr. & Lat. Prof. Ord.*

*h. t. iterum Fac. Med. Decanus, & Academie  
Regia cum maxime Rector.*

---

DUISBURGI ad RHENUM

Typis JOHANNIS SAS, Academiæ Typographi.

(1704)

U. Schr 700:4



31.9.2369

*Amplissime & Nobilissime Consiliarie Regie, idemque Academia Curator & Urbis Prator;*

*Professores quarumvis Doctrinarum Celeberrimi, Collegæ Venerandi;*

*Quique nobis ab Actis es & Secretis Vir Spectatissime:*

*Vos porro Doctores Consultissimi, Expertissimi;*

*Verbi Divini Pracones Reverendi;*

*Formanda in Ludo Literario Adolescentia Moderator doctissime, caterique Ludi ejus Praefecti literatissimi:*

*Reliqui, Eruditionis, Sacrae Professionis, Dignitatis, Ordinis, Aetatis, titulis aut prerogativa honorandi Auditores, Cives & Advena:*

*Tu deinde Generosa & Nobilis Corona Studiose Juventutis, spes venusta Saeculi, Academia nostra Ornamenta:*

*Vos denique, quos luctu primos separatim ultimo loco compello, ut mæror interim vester aliqua ex parte potuerit conquiescere; Defuncti Celeberrimi Collegæ Nostri Filii Ornatissimi; Affinis Consultissime, Urbisque Cos. meritissime; Expertissime Doctor; Fortissime & Nobilissime Optio; Defuncti Nostri Professoris Necessarii & Propinqui cateri; qui hic supremo officio praesentes amissum, Patrem, Affinem, Necessarium, Propinquum vestrum, lugetis nobiscum: mihi suo singuli honore colendi!*



Rgone in illa servati sumus tempora  
illatabilia, quibus non nisi tristia, hor-  
rida & inauspicata quotidie oculis au-  
ribusque nostris offeruntur! quid e-  
nim? nonne primum Gallicana domi-  
nandi & quidvis rapiendi infinita im-  
potentia stragem longe lateque no-  
stræ viciniae trans Rhenum intulit, cum  
passim velut lupi longa inedia jejuni per illam vagarentur  
impune, & velut colubri quidam vicinis inharenter  
munimentis, ubique venena sua ad proxima loca evo-  
mentes. Excepit post multo cum sanguine ejectos Cæ-  
sar's Insula & Rhenoberca hostes funesta lues non una,  
quæ huic Athenæo vastitatem & solitudinem pæne indi-  
xisset: jam tandem cum, pulcerrimo Virtutis & Fidei vere  
Batavæ Neomagensium auspicio facto, benignior Fortuna  
signum quoddam ad bene sperandum in hac Germania  
inferiore prætulisset, tota belli procella in Superiorem de-  
tonuit Germaniam, & cruore & stragibus, ac amissis ini-  
qua Fortuna munitissimis ditissimisque urbibus omnia ibi-  
dem late fœdavit, per Patriæ proditores Gallicis armis suc-  
cinctos. Jam tandem vatem fuisse, pudet dicere! magna  
ex parte deprehendimus personatum illum Monzamban-  
num, qui *Remp. Germania monstruosam & compagem male  
& laxè coherentem* traduxit. Nolo hic repetere mani-  
festa iræ divinæ indicia, peccata nostra, quæ non emen-  
damus, ulciscantis nuperrime immixtis turbinibus, qui  
quantam ubique rebus nostris cladem intulerint, malo

ORATIO FUNEBRIS. §

ex tacito omnium stupore, quam verbis meis, intelligi. Sed nec nostrum hoc Athenæum suis caruit plagis. Taceo Gallorum infaustam nuper viciniam, taceo morbos passim tum postea hic & prope grassantes: quinquies intra hos tres cum dimidio annos Palladium hoc nostrum mœsto nigrore pullatum funestatumque fuit. Amisimus enim tam brevi temporis intervallo duos Theologos, totidem Jureconsultos, quibus nunc, eheu! accessit Medici etiam Ordinis decus, non annis, sed plurimis meritis gravis *Vir, Nobilissimus, Excellentissimus & Expertissimus, Dominus FRIDERICUS GODEFRIDUS BARBECK, Phil. & Med. Doctor, hujusque per totos annos xxxIII. Professor Ordinarius & Primarius longe celeberrimus, Facultatis Medicæ tum temporis Decanus.* Quantum in Collega hoc Nostro amiserint & Academia & omnes Boni, Amplissimus Senatus Noster publico elogio testatus est, nec ego tam Suffenus sum, ut putem me ista temporis iniqua brevitate circumscriptum Defuncti præstantiam, quam nobis ereptam dolemus, dicendo posse æquare, ut jactura nostra possit omnino intelligi. Quare Alii potius, quam mihi demandatam optassem Justa & Parentalia Defuncto persolvendi provinciam. Cogor enim verba facere de Medico Medico, de Amico Amicus, de Viro Summo Orator Virtutibus Ejus enarrandis impar, idque coram hac mœsta Panegyri, quæ Defunctum amavit, coluit, suspexit, de quo nihil tam illustre, nihil tam magnificum dicere poterò, quin majora semper sit expectatura, & quæ exigui ingenii mei culpam imputare possit aut malignæ negligentia, aut invido silentio. Verum ab his criminibus me facile apud æquos rerum Arbitros absolvent & candor meus, & culta sine fuce ullave invidia constan-

ter cum Defuncto amicitia. Parui ergo auctoritati & voluntati Senatus Nostri amplissimi, qui nihil officii religionis sibi ducit antiquius, ut Viri Celeberrimi beneficia, quibus hanc ornavit & maestavit Academiam, memoriae consecrarentur, ne cum subtracto oculis nostris Defuncto illa quoque animis nostris videantur effluxisse. Non enim, si quis Manium de rebus nostris sensus est, credere debemus, illos delectari muliebribus lamentis, nihilque profuturis naeniis, aut invidiosa inexorabilis Fati accusatione impiave Mortis detestatione; e contrario potius nobis persuademus, quicumque doctrinae studiis censeferi volumus, Dolorem nostrum nos non posse meliore aut gratiore argumento testatum facere, quam si Defunctorum memoriam celebremus, Eorumque merita in Remp. literariam candida commemoratione Posteris ad exemplum, quod imitentur, proponamus. Faciam itaque haec Sacra Parentalia pro viribus, & ut spero, vel saliente puri salis mica habito Humanitati & Aequitati vestrae, Auditores colendi: Vos vero, qui vivum coluistis & amavistis, concedite mihi per breve hoc tempus, quo Vitam Ejus & Merita, prout potero, percensebo, benevolas & attentas aures. Interest enim nostra, ne bene Meritorum funera sint tacita; quamvis Defunctus, osor ambitiosa pompae, modestiaeque amator, laudes & praeconia nostra non desideret, subductus ex his rerum humanarum turbis in securam quietem tutumque Caeli secessum, & major jam humana laudatione.

Noster ergo Celeberrimus BARBECKIUS, ut hinc nostra inchoemus Parentalia, Patriam habuit hanc nostram Duisburgum, Officinam bonarum mentium, sedem olim binorum primae stirpis Regum Francorum, VAREMUNDI, CLODIONISque *Comati*, jam Musarum

farum Ædem & Hospitam, hinc Rhura, inde amnium Patre & fluviorum Rege Rheno nobilem. Fuit hæc Urbs ferax mater Virorum sago togaque nobilium, prima propagatrix Christianorum Sacrorum per vicinam Vestfaliam, & instauratrix Geographiæ per celeberrimos illos MERCATORES, Geographorum Principes. Purior Philosophia hic primo caput cœpit efferre, duce CLAUBERGIO, Viro Eruditissimo & Acutissimo, qui postem tenens hoc Athenæum cum primis dedicavit. Hæc est illa Academia, quæ prima inauguravit ac celebravit WITTICHIOS, FELTMANNOS, CRANENOS, SCHULTINGIOS, GRÆVIOS, MENSINGAS, tot Alios, qui deinde eruditionis suæ splendore Belgicæ Fœderatæ Academies illustrarunt. In hac Urbe felicibus auspiciis lucis vitalis usuram accepit Defunctus Noster die x. Octobris anni a N. CHR. cl. lxx. xlv. secundum fastos Gregorianos. Parentem habuit *Guilielmum* BARBECK, *Medicina Doctorem*, Virum Eruditione, quam variis peregrinationibus auxerat, clarissimum, & Urbis hujus Consulem meritissimum. Mater fuit *Helena* SAASENIA, nobilissima sexusque sui laudibus ornatissima Matrona. Avus Defuncto Paternus fuit Vir Nobilissimus *Johannes* BARBECK; Avia autem *Catharina*, ex clara & incluta MILLIORUM stirpe oriunda. Avus Maternus erat Vir varia eruditione, maxime rerum Divinarum, cultissimus, *Godefridus* SAASENIUS; Avia vero Materna *Gertrudis* LEEFKENIA, Matrona lectissima & sexus sui decus.

Possimus sane hic plures recensere Majores nostri Defuncti; possimus non paucos Medicos, quibus floruit Gens BARBECKIA, huc arcessere: Sed quia Defunctus ab omni fastu & hoc vanitatis humanæ choragio erat

erat alienissimus, nos etiam nolumus per hanc temporis brevitatem, & frigoris hiberni iniquitatem, vestra, Auditores Humanissimi, abuti patientia. Ut enim a Bonis bene prognatum esse, cum fere generosa in ortus suos semina exsurgant, inter Benevolentiae Divinae argumenta & Beneficia merito reputari debet; ita tamen hoc ipso beneficio per ambitionem ineptam, ad aliorum Mundi Incolarum, olim in prima origine eodem nobis sanguine natorum, contemptum abuti minime decet. Si quis enim propria virtute non censetur, sed tantum Genus & Proavos suos cantat aut blaterat; aliena is laudat, caudex ipse & stipes; ignobilis profecto inersque fucus est, qui, quæ ipse nec fecit, nec imitari vult, sibi tamen rapit & imputat.

Quamprimum deinde noster Defunctus ad illos pervenit annos, quibus puerilis ætas ad capienda literarum elementa maturefcit, missus est a sapientissima Matre, nam Patrem trimestris amiserat; in ludum Urbis literarum, ut minusculis istis mysteriis paulatim initiaretur. florebat ille ludus nobili frequentia & doctissimis Præceptoribus, Gymnasique cura tum mandata erat Senatui nostro, qui singulis fere quindecim diebus aliquos Doctores ad Ludum illum mittebat, partim ut omnia recte & ordine fierent, partim ut docentium vigilantiam, discientiumque progressus explorarent; uti sic Pueritia & Adolescentia severis legibus proficerent, laborum gradus facerent, nec pro sua Parentumve lubidine studia ista prima præcipitarent. Ita Moderatorum Ludi Literarii valebat auctoritas, nec sibi permessa Parentibusve, simiarum instar Liberos suos sæpe amanti-  
bus, Pueritia & Adolescentia in præceptis ruebant, nec magno Reip. malo cruda, aut nulla studia in Academi-  
am

am propellebant, sed matura & jam humanioribus literis magna ex parte mitigata. In hoc Ludo literario Defunctus noster Matris Necessariorumque suorum sapientissimo consilio versatus est, ut tanto fidelius iis artibus, quibus puerilis & prima adolescens ætas impertiri debet, imbueretur, usque ad annum ætatis suæ decimum nonum provectum. Erat in Defuncto, quod ex Aliis Ejus tum olim condiscipulis sæpe ipse audivi, adhuc puero excellens ingenium & memoria tenax, ut non solum celeriter arriperet, quæ traderentur, sed etiam fidelissime retineret. Noluit tamen Mater Ejus, Matrona Cordata, quod multos hodie male facere videmus, velut canem e Nilo bibentem festinare ad Academiam; sed prius fideliter, ordine & rite initiari hisce studiis, sine quibus reliqua deinde ruunt, uti subductis tecta columnis. Gavisa est prudentissima Mater cum Necessariis & Propinquis felici eventu sui consilii, ita enim Filius perfecta maturitate tulit fructus Academia dignos. Admiror Cordatæ illius Matronæ Sapientiam, exosculor illorum Nostro Necessariorum & Propinquorum judicium; quod utinam plures sequerentur Parentes! Jam enim omnes sibi Parentes dictaturam in Ludos literarios eorumque Præfectos ultro & sine populi suffragio arripiunt, Medicinam, Jurisprudentiam ac Theologiam indui volunt puellis immaturis e Ludo tantum non fugitivis; Alii sapientiores, si Diis placet, etiam Moderatoribus docendi iniquissimas leges præscribunt, aut publice privatimve industriam Præceptorum maligne traducunt. Si quid mihi creditis, Auditores, non Magistri, sed ipsi Parentes in culpa sunt, ut tot Arcadica pecora & semipaganos passim reperiamus, qui, ubi tria verba Latina sunt facienda, trepidant ad Prisciani venerabile tribunal.

nal. Sive enim beatiore & in lautiore sint re Parentes, jam sibi de Liberis suis blandiuntur mirifice, & ab aliis etiam officiosissime decipiuntur, quasi præcox ingenium, & senile in puello iudicium, & insignis industria hunc ultro vocarent ad Academiam; si Præceptores renitantur ex sanctioris animi conscientia, jam omnis erga Eos refrigit benevolentia, fulmina verborum Eos feriunt & calumniæ, tanquam privati ex mora Discipulorum diuturniore lucelli cupidos. Si vero Parentes sint in re aut nulla aut mediocri, ut hi mirum in modum festinant ad vota! Sumtum scilicet compendia quærunt, ut vel in Ecclesia, vel in Rep. mox sibi uxorive ducendæ Liberi possint prospicere. ad lucrum enim & panem & lodicem hi studia referunt. Hinc statim ex Ludo literario illotis manibus irrumpunt in ipsa Theologiæ sacra, Astrææ penetralia, Meditrinæ adyta, & bona fide ignorantiam inscitæ conjungunt in spem præclaræ esuritionis. Dedit hæc contagio jam multam labem, & in plures dabit. Unde enim conspiciamus in Academiis puellos tot immaturos, nondum mitigatos; si quæras, quis istum puerum gladio alligavit? regeret aliquis: at ille jam Theologiæ, ille Jurisprudentiæ, ille Medicinæ Studiosus est: imo vero studio sus est, quæ Minervæ sacris neglectis cuncta perturbat. Brevis etiam, credo, habebimus in Academia infantes a matre rubentes, si hac via pergamus. Sunt equidem, nec nego; ingenia quædam excellentia & præcocia, quæ ultra annos sapiunt, hinc vulgo eximenda; verum tales albo corvo sunt rariores; nec omnes possunt omnia, & pro re sic nata præstat per gradus progredi, quam per saltum, ut facilis lapsus evitetur. BARBECKIUS noster, quamvis in Ludo literario nemini cederet ingenii felicitate, Matris tamen suæ auctoritati

ORATIO FUNEBRIS. 11

toritati felicissimo eventu paruit, & Albo Academico, postquam recte & ordine e Ludo illo literario & cum laude esset manumissus, demum nomen inseruit II. Aprilis anni clo. lcc. lxxiii. Rectore Magnifico *Virico* SCRIBA M. D. & hujus ac Ling. Hebr. Prof. Ord.

Statim itaque mysteriis majoribus animum suum præparare cœpit, & rursus per Philosophiæ purioris studia ad metam Artis Salubris acerrime contendit. Duces in illa habuit magnum CLAUBERGIUM, renatæ Sapientiæ Phosphorum; in hac & illa vero *Tobiam* ANDREÆ, insignem non minus Medicum, quam Philosophum, qui deinceps *Academiam Francofurtanam ad Viadrum*, & tandem *Francofurtanam* doctrina scriptisque suis exornavit; Vir eo quoque nomine commemorandus, quod possessor fuerit *Arcani* illius *Bilsiani*, quo corpora animantium ita condiuntur, ut non solum sine ullo fœtore integra & vivis certantia in omne ævum perdurent; sed & Medicis exhibeant spectandos sine narium injuria interiores corporum partes, flexus, mæandros, labyrinthos, uti ipsemet hisce meis oculis apud Illum, qui Patris mei cum Ipso amicitiam velut hæres creveram, *Francofurtæ* spectavi non sine admiratione & voluptate. *Virico* etiam SCRIBA, Viro non minus Rei Medicæ scientia, quam Hebraicis literis exculto; quippe qui, raro exemplo, & has & illam publice & cum laude profitebatur; hoc etiam, inquam, duce in Artibus Medicis est usus; plurimum quoque debuit amori & institutioni Fratris sui *Jona* BARBECK, *Med. D. & Professoris*, qui magna cum nominis sui celebritate felicibus experimentis hac in Urbe medicinam faciebat. atque ita hic loci pæne sexennium summa industria persequeretur illas artes & disciplinas, quibus Medicinam per-

ceret; nec non mox severissima lege in Saluberrima Artium Arte profecit. Non ille tempora sua donabat turpi otio, non Baccho, non, ad pati perpetuos fumos, cerevisiæ aut olidis Siceris cum ardelionibus affidebat, non mancipabat se Veneri & amoribus, temporis preciosissimi furibus. Sacram Hygeiæ Scientiam majore colebat reverentia, quam ut illam vellet profanare. Nocturnas grassationes, Stentoreas vociferationes bacchantium & boantium noctu per plateas, audaculorum Thraſonum jurgia, rixas, bella privata, nullos, nisi infamis impudentiæ & supplicii, triumphos habitura, cane pejus & angue oderat. nescio enim quod pestilens sidus afflaverit quasdam Germaniæ utriusque Academiæ, ut in illis sæpe reperiantur venena quædam & carcinomata Studiosi Ordinis. Sunt subinde nonnulli cirrati adolescentuli, qui, maxime cum venas eorum inflavit ignibus editus ille Semeles puer, ex his Bonæ Mentis officinis faciunt Cyclopiciæ Licentiæ campos, Sybariticæ Luxuriæ stabula; hi sunt vera Studiosorum dehonestamenta, &, si verum sine fuce amamus, Germani generis excrementa, quibus tandem post consumptum & male perditum otium, resque luxu attritas, consilium a desperatione & Bellonæ servitio mutuandum est, licet a talibus defensoribus patria parum auxilii possit expectare. Sed has noctuas suis tenebris, suoque Genio irato relinquamus; Deum venerati, ut Nostro Athenæo semper tales largiatur cives, qui se Christianos meminerint, non Diaboli mancipia; qui vere Studiosos se præbeant, non Bacchi, Luxus, Furiarum satellites. Noster Defunctus, ut ad Eum redeamus, quod otium alii sterrendo in utramque aurem, alii ludendo, alii vitiis se dedendo pejoribus perdebant; id Ille omne consumebat in rerum Naturalium  
inve-

investigatione ac meditatione, inter extispicia, inter furnos, inter herbas, ut ita cum Democrito inter experimenta adolesceret.

Ut partem domi Sapientiam & Artes uberioribus accessionibus peregre locupletaret, anno præteriti sæculi LXX. profectus est ad celeberrimam illam Musarum & Artium sedem Lugdunensem, quæ apud Batavos tum temporis magno illo Æsculapio, cive & populari meo, SYLVIO, per universam celebrabatur Europam. Quantum autem in ornanda & augenda Medicina Vir fuerit SYLVIVS, Discipuli docent, qui a Magistro *Sylviani* cognominari gloriæ ducunt. Sane fuit Summus ille Vir, quem non tam illustis & nobilis per septem sæcula Gens sua, quam inusitata Rerum Medicarum peritia immortalitati consecrarunt, singulari quodam fato natus ad Medicinam clare, ordine, dexterrime docendam, & ad eandem cito, tuto, jucunde, compendiose faciendam divino ingenio instructus. Nunquam Leydæ major Studiosorum Medicinæ addictorum fuit confluxus, quam docente ibidem SYLVIO. Tantum ergo Æsculapium ut ipse audiret, & ab ore ejus penderet, Defunctus noster susque deque habuit luem tunc Lugduni populariter & periculose grassantem; tam acri ardore audiendi SYLVII erat inflammatus. Hæsit circiter annum *Lugduni*, seque magno SYLVIO ita tradidit totum, ut semper postea omnes, qui horum Sacrorum sunt periti, in Defuncto nostro mecum admirati sint genuinum SYLVII discipulum; ut etiam ipsa, quod eventus postea docuit, ab æquis Ingeniorum Censoribus & Arbitris, SYLVII cathedra ornanda dignissimus fuerit judicatus.

Cum mecum vero, Auditores Honorandi, reputo illud Defuncti septennium, quod Sacræ Arti nostræ im-

pendit, non possum non vices Ejus Artis dolere. Quid enim? Num hoc pede, hac via omnes ad eam grassantur, qui illi sese addixerunt? Imo vero hanc Artem, quæ per omnem rerum Orbem, per Cœli, Terræ, Oceani-que tractus Scientiæ suæ pomœria porrigit; Sacram hanc artem, quæ Naturæ arcana patefacit, quæ omnes Ejus sinus remotissimos ac recessus abstrusos pervestigat, quæ unica Sanitatis Humanæ tutrix & præses est; sine qua tamen Sanitate nihil omnino est amabile aut jucundum; sine qua ipsa vita minime est vitalis, cum obnoxia morbis valetudo sit viva hominis sepultura; Sacram hanc Artem, cujus primos, ut credebant, Inventores Græci & Romani in Deorum censum retulerunt, ut aræ, templa, sacerdotes illis consecrarentur; Hanc inquam Artem, Dei munus optimum, maximum, quam pauci, qui illi studia sua devovisse videri volunt, satis reverenter ac pro dignitate habent? ad vota, ad panem, ad lodicem, ad lucellum, remis velisque, manibus pedibusque, properant non pauci, prostituentes Artem nostram Cœlo oriundam. Nonne enim videmus passim in Academiis quosdam irata Meditrina natos, Artis degeneres Filios, qui ubi forte in Academiis biennium aliquod otis, quisquiliis, nugis, pigritia, ne vitia alia commemorem, contriverunt, ac subinde præter propter viam festina sacra minime sacra Arti Salubri fecerunt, jam pulcherrime sibi blandiuntur, emtoque titulo Suffeni domum redeunt sine ulla mica Sipientiæ Medicæ. Hi deinde ubi per Fortunæ errorem ad agrorum curam advocantur, magis sæpe anguntur & trepidant, quam illi ipsi, de quorum cute agitur; veri, sub titulo officii, homicidæ, Charontis Proxeneræ, Libitinæ Quæstores, Vespillonum Curatores. Sacra quædam res est & reverenter habenda

da Valetudo humana, nec unquam armari publicis testimoniis Inscitia debet ad illam impune oppugnandam, vexandam, evertendam. sed redeamus in viam.

Defunctus noster postquam exeunte Novembri anni, quem supra dicebam, Leyda domum rediisset maximo Eruditionis Medicæ apparatus instructus, quod jam ad plenam quandam maturitatem studia Ejus pervenissent, ex consilio Suorum, ab Ordine Medico & Philosophico in hac Academia Patria summos in Philosophia & Arte Salubri honores rite petiit. de more tentatus rigideque per omnes Philosophiæ & Medicinæ partes examinatus cum laude admissus est; & progymnasmatis Academicis recte peractis sequente die xxII. Ianuarii anni cIc. lxx. geminis honoribus publice & solenni ritu, Philosophicis quidem a Viro plurimum Reverendo *Johanne Hermanno HUGENPOTHIO*, Phil. & Theol. D. & utriusque Ord. Professore; Medicis vero a Viro Expertissimo, cujus jam meminimus paulo antea, *Vviri* *SCRIBA*, bonis ominibus latisque acclamationibus est inauguratus.

Proverbio dicitur, Deos omnia laboribus vendere; nec male. Tot sudores, tot labores, tot vigilatæ noctes, tot annorum continua studia Defuncto nostro bene merito, (qui tum temporis Medicinam faciendam auspiciatus erat *Elverfeldæ Montanorum*;) eodem anno, contulerunt Professionem Medicam in hac Academia, decessu celeberrimi *SCRIBÆ* vacuefactam. Tanta enim erat Defuncti eruditio, ista suæ industriæ specimina exhibuerat, ut anno ætatis xxvI. omnium cum applausu in publicum hoc theatrum, in quo Virtus & Doctrina Ejus porro enitescerent, a Serenissimo Musageta nostro, *Divo FRIDERICO WILHELMO M.* evocaretur

retur *Medicina Ordinarius Professor*. Iſtam vero provin-  
 ciam quanta cum laude & Studioſæ Juventutis undique  
 confluxu totos annos xxxIII. ornarit, cum nemo igno-  
 ret, & plurimi ſuperſint egregii teſtes, qui ex Ejus Scho-  
 lis, ceu Heroes ex equo Trojano, prodierunt, ſuper-  
 vacuum puto dicere, ne Manibus Ejus, qui vivus Mo-  
 deſtiam maxime probabat, nimis ambitioſa commemo-  
 ratione videar moleſtus. *Facultatis Medicæ Decanatum*,  
 quem vocant, geſſit *tricies & ſemel*; quippe qui toto  
 illo temporis decurſu fere ſolus Sacra Salubria curavit in  
 Academia; alterum enim in Ordine Medico Profeſſo-  
 rem evocarant poſt biennii ſpatium Sicambri Hardero-  
 vicum; Ego vero paullo ſerius ad Ordinem illum abhinc  
 tres circiter annos acceſſi, licet ante extra Ordinem per  
 ſeptem admodum annos Sacra Aſclepiadea publice, non  
 ſine aliquo Frequentiæ Medicæ applauſu & Defuncti ap-  
 probatione, docuerim, & una cum Literis humanioribus  
 profeſſus fuerim, contentus interim ordine, quem mihi  
 Literæ in ſtatione Academica assignaverant. Verum  
 revertatur oratio noſtra ad propoſitum. Semper Defun-  
 ctus noſter gaviſus eſt Studioſorum Medicorum frequen-  
 tia, & memini per totos illos xIII. annos, quibus hic  
 locorum vixi, nos ſemper hic plures numeraviſſe Salubris  
 Artis Candidatos & Studioſos, quam tres quatuorve A-  
 cademiæ junctim alibi locorum. Ex perſpicua docendi  
 ratione, quam ſequēbatur Defunctus, factum eſt, ut  
 plerique hic relam ſtudii Medici pertexerent, eaque ab-  
 ſoluta ſummos in eo honores ambirent. Inde evenit,  
 rariffimo in Germanicis Academiis exemplo, ( licet hic  
 non ſoleant junctim plurimi ſimul honorum titulis or-  
 nari, nec projici aut quaſi venum dari honoris Medici  
 præmia, ſed ſolis verisque meritis concedi; ) ut Defun-  
 ctus

Etus contulerit *Doctura* honores *Candidatis* LIV. qui, si tres quatuorve exceperis, fere omnes hac in Academia studia sua perfecerant. Inter hos fuerunt, præter cives, populares, & convenas ex universa Germania, etiam Helvetii, Silesii; ex Belgio Sicambri, Zelandi, Hannones: etiam, quod rarius visum, quem primum crearat Doctorem, hujus ipsius postea Filium, interjecto annorum justo intervallo, iisdem Medicinæ honoribus inauguravit Noster. Caterum in privata ac publica Institutione, in rebus Anatomicis, Chemicis & Botanicis, norat se quibusvis Auditoribus Medicis accommodare, a quibus vicissim ob industriam & fidem in oculis ferebatur. Inter Primos ad solennes Recitationes accedebat, inter postremos ab iisdem feriabatur: imo, quinto ante fatalem decubitus die, & publice præsedebat privatæ Academicæ altercationi, & domesticæ Institutioni vacavit. privatim namque, si qui vellent eo uti, nullas norat ferias. Notum est illud Veteris Ducis: *Imperatorem oportere stantem mori*; ita fere Noster Defunctus videtur voluisse, *Professorem oportere docentem mori*. Sic ad extremam vitæ metam nunquam, tam a docenda, quam facienda Medicina, otium sibi vacivum indulgit.

Ita quidem versatus est in Studio Medico; sed nec minore laude Philosophiam Puriorum, & a Scholarum tenebris ac barbarie purgatam privatim docuit, jussu Serenissimi Domini nostri, ab anno cto. lxxvi. & quidem mirifico semper concursu Studiosæ Juventutis frequentatus. Singulari docendi dexteritate utramque Spartam, tam Philosophicam quam Medicam, ornat. non enim tantum erat assiduus & diligens, quamvis per ultimos vitæ annos caussarium corpus circumferret; sed etiam in docendo perspicuus, & apte singula

distinguens, ut clare & facile intelligi; solidus, ut dubiis posset occurrere; placidus ac lenis, ut omnes illum possent assequi; prudens, ut extolleret, quod recte responsum; sin secus, ut per artificiosas Ipsius quæstiones ultro illi ipsi ad veri fontem viderentur accessisse; blandus & affabilis, ut amaretur; serius vero simul, ne contemptum pareret remissa gravitas: ita omnes habuit ab ore suo suspensos amatus pariter & veneratione cultus. Ne quid autem, dum deprædico solidam in rebus Medicis & Philosophicis Defuncti Eruditionem, videat aut adulationi, aut amicitia deditisse, provocho ad tot illius acutissimas & accuratissime elaboratas Dissertationes de gravissimis, intricatissimis & selectis in utraque Disciplina argumentis, quæ hic publicatæ ac pro more Academico ventilatæ vel ipsi Invidia possunt facere satis. Merentur illæ, ut uno volumine junctæ denuo cum Orbe Erudito passim communicentur. Loquentur deinceps profundam Defuncti in re Medica Scientiam, elegantissimæ illius & elimatæ *Institutiones Medica*, nec non plures *Observationum Practicarum Centuria*, ad prælum paratæ, quas Vivus minabatur, & quas Filius alter ad Artem Paternam destinatus forsan Reip. Medicæ aliquando non invidet.

Magistratus Academici annui Sceptra quinquies summa cum laude gessit, remque Academicam prudentissime administravit: in Senatus nostri conciliis præstitit Senatorem in consulendo gravem, prudentem, circumspectum; Judicem, qui nihil daret odio, nihil gratiæ, utrimque incorruptum; in sententia dicenda erat serius, sincerus, candidus; in tuendis Academix commodis, immunitatibus, privilegiis, honoribus erat constantissimus & imperterritus; Circa Juventutis nostræ delicta, ubi nulla emendationis spes supererat, merito severus erat

erat vindex; ubi spes erat reditus ad meliorem frugem, facile se exorari sinebat; ita fere se gerebat, ne nimia indulgentia & connivendo cereos in vitia Juvenes perderet, quos alias extrito semel pudore ad omnem flagitiorum nequitiam projectos nulla Salus deinde facile potest servare. Factiones & Dictatorium supercilium, ceu pestes Academiæ, & horrebat semper & detestabatur.

At ne putetis, Auditores omnium Ordinum Spectatissimi, dum vobis Defunctum sisto laudatissimum Professore, Senatorem, Rectorem, Judicem; illum magis fuisse Contemplatione Artis Medicæ, quam ejusdem Exercitio nobilem. Videmus enim non raro Medicos, qui de Morbis eorumque causis copiose disputant, at in Arte facienda infelicissimos; & e regione alios in facienda Medicina fortunatissimos, quibus verba pæne desunt, cum disputandum est super Morborum indole, natura, cura, similibusque argumentis. Aliter in Defuncto Nostro se res illa habebat; Docendi dexteritas cum felicitate Exercitii in sanandis aut levandis Ægris certabat; Theoria & Praxis pari apud Eum passu ambulabant, & ut ille ex utroque Cæsar, sic Noster ex utraque quasi Hippocrates erat. Hinc a Summis, Imis, Medioximis vocabatur, a Principibus sæpe desiderabatur, a Civibus & Peregrinis, Longinquis & Propinquis, vel coram vel per literas, consulebatur, adesque ejus, quasi quædam Æsculapii ædes, a promiscua turba quotidie consilii auxiliivæ causâ frequentabantur. Debeo & hanc laudem privatam Defuncti virtuti, quod (liceat mihi, Auditores Humanissimi, res vobis compertas sine fastantia proloqui!) mecum in consiliis Medicis conferendis, si quando ambo simul statim ad Ægros vocare-

mur, quod plane sine ulla invidia, sine morosa tergiversatione, sine fuce, verum ex animi sui sententia diceret, & vicissim libentissime audiret, momenta rationum ponderans, nec de ingenii gloria certans, sed de *Ægri* salute & commodo. Nec ego Illi unquam invidebam famam meritis, eruditione, & plurimis Artis experimentis corroboratam, nec Ille mihi qualemcunque in eadem Arte Salubri, partam industria, & multorum annorum experientia confirmatam, limis oculis invidebat domi forisve famam. Ita in Examinibus, in communibus Consiliis, in Facultatis nostræ negotiis, in dandis Responsis super casibus difficillimis, tanta animorum conspiratione conversati sumus, ut nunc, coram Vobis Omnibus testibus, Deum ex animi sententia veneret, uti in Medica Professione similem mihi adjungat Collegam, qui *Ægrorum* salutem sine ulla invidia in hac Urbe & longe late circum vicinia, qua nostra paruit fama, possit asserere, aut saltem valetudinem, si spes salutis plenæ plane decollat, levare; & simul personam Professoriam magno Juventutis & Academiæ fructu & celebritate recte queat mecum tueri ac sustinere.

Cum vero Defuncti nostri Eruditio passim celebraretur, non potuerunt non tot Ejus Ingenii, Doctrinæ, Virtutumque præconia incendere vicinarum in *Fæderata Belgica* Academiarum desideria, ut hoc sibi decus assererent. Prima arietem nobis admovit *Groninga*, & loci situ & Incolarum frequentia ac cultu amœnissima Civitas, Musarum celebris Hospita. Illustres enim & Præpotentes *Provincia Groningana* Proceres, Academiæ Provincialis Curatores, Illum lautissimis & invidendis conditionibus ante hos octo annos ad *Professionem Medicam* invitabant. Vidi ipse mense Januario anni cLo. lcc. xcvi. huc

huc missum *Groninga* Tabellarium Publicum cum literis Medicam Spartam offerentibus. sed vicit in Nostro Patriæ amor, qui Serenissimo Regi nostro & Patriæ Patri ita placuit, ut ultro honorarium Ejus annum quinquaginta Argenteis uncialibus augetet. Neque tamen hæc repulsa aliorum sollicitationes inhibuit. quippe ante hos quatuor annos celeberrimus quidam *Lugdunensis Academia* Professor, Curatorum jussu literas dedit ad nostrum Defunctum, quibus ipsum studiosissime tentabat, ut provinciam Medicam sibi in *Academia Lugduni Batava*, si vellet, offerendam, acceperet; at Ille iterum Patriam prætulit *Batavia*, remque tantam inusitata modestia silentio obliteravit, ex qua Alii famæ rubam inflassent. Erat enim ab omni fastu & jactantia alienissimus.

Diximus hætenus Defunctum nostrum, qualis ab ineunte ætate fuerit, qualis & qua fama & fortuna in statione hac Academica. Lustranda nunc venit vita Ejus privata & domestica. Anno demum ætatis xxxiv. Professionis viii. cœpit cogitare de adsciscenda tori Sociæ. Sive enim Studia severiora mentem Ejus tantisper a nuptiis abstraxerint, sive maluerit, ex Hesiodi consilio, Veterumque Germanorum ritu, confirmata juvena ducere Uxorem, faventissimam tamen est expertus Junonem Jugalem. Faustissimis namque auspiciis die vii. Decembris anni cdo. Idc. lxxviii. domum duxit Matronam omnibus, quibus delicatior sexus commendari solet, dotibus ornatissimam, CLARAM MARIAM, & ex antiqua & nobilissima KUMPSTHOFFIORUM Gente, quæ Jctis plurimisque Magnorum Principum Consiliariis floruit, prognatam. Pater fuit Vir Amplissimus & Consultissimus, *Conradus Bertramus* KUMPSTHOFF,

HOFF, cum viveret, Urbis hujus Cos. merentissimus : Mater Matrona Nobilissima, quæ Generi mortem cum maxime acerbissimis lacrumis deplorat, *Maria Elisabetha*, ex incluta & sago togaque nobili apud Sicambros Usipetesque WITTENIORUM Gente. cum hac Uxore, Animæ suæ dimidio, vixit sine ulla querela *annos totos xxv. dies xxi.* attigitque *Argentæas*, quas Germani vocant, *Nuptias*, has quoque ipsas, Liberorum rogatu, aliqua festivitate celebraturus, si per fata licuisset. imo Aureæ fuerunt Nuptiæ, quippe cum hoc matrimonium nulla unquam divortia animorum, nullæ unquam rixæ divulserint; sed sola tantum mors cum maxime turbavit, relicto apud Viduam moestissimam lugubri & tantum non inconsolabili desiderio. Ex hac lectissima Uxore sustulit pignora tori *novem, quatuor Filios, Filias quinque.* verum *quinque Liberos* ad æternitatem præmisit: nam Filium primogenitum, Avo materno, quem modo diximus, cognominem, quinquennem amisit; alterum Filium, nascendi ordine quartum, *Conradum Justum* pulcerrimæ spei Adolescentem extulit duodecennem; *Christinam Adelheidim*, Filiam nascendi ordine sextam, Cælo reddidit quinquennem; sequentem *Johannam Elisabetham* triennem composuit; & hanc excepit *Clara Anna*, quam ipsa vitæ suæ aurora eripuit. Vivunt adhuc & in familiæ decus Matrisque gaudia succrescunt *Maria Helena*, nascendi ordine secunda, Virgo venustissima, nec minus formæ, quam morum elegantium ac pudicitæ laudibus florentissima; omniumque natu minima & ordine ultima, *Clara Gertrudis*, sed per tenellam ætatem jacturæ, quam in amisso fecit Parente, cujus deliciæ amorque fuerat, nondum intelligens. Ex Filiis superstitionibus hic videtis atratos, nascendi

di ordine tertium *Johannem Guilielmum*, jam a biennio Juris Utriusque Studiosum diligentissimum. Age nobilissime Juvenis, cresce in Paternas Avitasque laudes: cernis domi tuæ imagines ex Gente materna magnorum Jurisconsultorum; hæc Te ultro jam currentem hortentur ad tuendum porro decus Gentilitium; quod ut feliciter eveniat, Deum ex animo veneror! Alter superstes Defuncti nostri Collegæ Filius, ordine nascendi quintus, quem etiam hic pullato nigrore funestatum lacrumisque perfusum cernitis, est *Laurentius Godefridus*. Age & Tu nobilissime Adolefcens, qui ad Paternam Artem, ut audio, lubens volensque destinaris, ut in Paternas etiam Avitasque laudes succrescas, nobisque aliquando Patrem reddas, Ejusque Scripta ab interitu vindices. Deum precor, ut Tibi largiatur Beati Parentis Tui Ingenium, Industriam, Eruditionem, Fortunam!

Domi suæ Noster Defunctus Uxori præstitit Maritum optimum & sedulum attentumque Patrem familias, qualem ne voto quidem meliorem optare potuisset: Liberis Patrem & Præceptorem Virtutis ac Pietatis veræ, nec ad ostentationem comparatæ: foris in vitæ quotidianæ commercio comis erat erga omnes, in seria & jocos promptus, jucundus nec morosa aut ficta severitate molestus, unde Summis & Imis æque acceptus erat. Mores illi fuerunt aperti, nullo fucō picti, nulla simulatione personati, nullis Gallicanarum stropharum officiosis mendaciis recti. Erga Deum pie, erga alios æqui & juris observantissimus vixit, & intra sobrietatem se ipse continuit. Memoria valuit ultra fidem tenacissima, ut etiam rerum in nostro Collegio & Academia ab ipsis fere primordiis gestarum quasi viva quædam Bibliotheca videretur; Judicium illi erat acre, perspicax, & promptum.

In

In Studiis privatis nec Veterum merita & laudes inepto Antiquitatis contemptu despiciebat, Hippocratem præcipue admirans; nec Recentiorum placita, solum novitate, aut phaleratis verbis, pictisque nugis blandientia, statim exosculabatur. Sola Veritas illi publice & privatim antiquissima semper erat, eademque novissima.

Vidistis hæcenus, Humanissimi Auditores, brevi velut in tabella, quantum per temporis angustiam fieri potuit, depictam Defuncti Nostri vitam publicam & privatam. Si quæ omissa sint, ea non tam præterita, quam seposita existimetis. Talis tantusque Vir docta manu, stilo polito, & ab ingenio non vulgari describi debet, qualia si mihi esse putarem, me ipse ne quidem nossem. Detur itaque aliquando ista provincia disertioribus & beato otio abundantibus, qui Defuncti famam, quam sibi immortalem peperit, Posteris tradant admirandam. Nobis nihil restat aliud, quam extremus Vitæ Defuncti actus.

Vere possum profiteri, quod Medici, quanto majori Artis suæ fama gaudent, tanto in majore & splendidiore vivunt servitute, sæpe cum suæ ipsorum valetudinis periculo. Ut enim candela loco quieto & ab aeris injuriis tuto ardens luminis sui tempora producit; at si per ventos, ut aliis luceat, horsum illorsum raptatur, citius aut consumitur, aut saltem necdum finito filo exstinguitur; Ita & Medicorum fulgentior eruditio, dum passim per quasvis aeris injurias, ad quævis loca, quocunque tempore, ut aliis luceat, invitatur, aliis interveniendo ipsi ita citius deteruntur, consumuntur, exstinguuntur. Defunctus Noster, ut nostis & audivistis, velut alter Æsculapius passim locorum colebatur. Hinc ad illum decurrebant ex Urbe nostra, ex vicinia, ex  
remo-

remotioribus urbibus, qui auxilium opemque Ejus implorabant. Nemini ille unquam negabat officium. Notu diuque, per hiberna frigora, nives, glaciem, per æstivos æstus, per vias sæpe corruptas & lutulentas, per procellas & imbres, ad Ægros properabat, plerunque ad remotiora loca eques; sed an semper sine suæ sanitatis detrimento, quæri posset. Erat illi corpus robustum, torosum, valetudo satis firma, membra compacta, statura ultra communem; sed quid est denique, quod Aeris injuriæ non corrumpant? Vere enim dixit Medicorum Princeps: *Aerem esse maximum omnium eorum, quæ homini eveniunt, Imperatorem.* Experimur hoc omnes, cum varius, pestifer, lethifer est; cum modo subitis frigoribus cuncta urit, modo squalido æstu omnia corrumpit. Cœpit Noster Defunctus abhinc paucis annis articulari morbo, & defluxionibus nonnihil subinde tentari, cui accedebat tandem aliqua pectoris angustia, spiritumque difficulter trahebat; Verum ea Ille non quidem flocci, sed tamen minoris fecit, artis suæ munitus præfidiis, nihiloque secius Artis docendæ, faciendæ, & cuncta reliqua vitæ consuetæ munia peragebat, excurrens etiam ad Ægros longinquos. Intra annum circiter spatium bis gravissime decubuit, ubi fere ex Charontis cymba pedem retulit, accedentibus ad solita mala torminibus ventris. sed revixit, & videbatur nobis belle convalescere, cum die Solis xxIII. Decembris anni mox elapsi circa meridiem vocaretur ad opem ferendam alicui hujus Urbis Magistratui, qui altero latere subito sideratus erat. Adfuit, auxilium tulit, domum redit, verum eheu! nunquam ex ea vivum pedem elaturus, verum efferendus. quippe eadem mala denuo ipsum leto affligerunt; de quibus ipse bene ominari, quod mala

consueta & jam saepius expugnata essent. sed peregerunt Fati mandatum mortis satellites, inexpugnabiles morbi, nam sensim consumptis viribus, superveniente sudore lento, ac gravissima spiritus anhelosi & suspiriosi difficultate, inter preces, quas Illi præibat Vir plurimum reverendus & vera pietate conspicuus, *Bernardus MEYERUS*, Oraculorum Sacrorum hac in Urbe doctissimus & tersissimus Interpres, animam suam placidissimo fato, veluti somno componeretur, corpore solutam Deo Creatori, Christo Servatori libens volensque cum Simone illo Sene reddidit, magno non solum cum Domus suæ, sed & totius Civitatis luctu, perturbatione, stupore, quo inexpectata hac nec prævisa morte omnes erant percussis. dies illa funesta fuit xxviii. Decembris, hora vespertina vi. vixit & quem dedit Eruditio, Virtus ac Fortuna cursum, peregit annis lxx. mensibus ii. diebus xix. Liberi & Posteris Virtutem imitantor!

Ad Vos me nunc converto, consecrata Salubribus Artibus pectora, suavissimi Amores mei: amisimus ingens Artis nostræ incrementum & decus; amisistis Doctorem, ut uno verbo omnia complectar, optimum. quid ergo? debemusne pectus diducere & in lacrimas solvi? at hæ nec delectant Defunctum, nec Fati leges refigunt. Ergo, quia ereptus est corporis oculis, mentis oculis Eum intuemini, & tanquam exemplum, quod sequamini, Vobis proponite. Imitamini Ejus Virtutes, Industriam, Pietatem, Solertiam, circa Ægros Fidem & indefessam Constantiam; Sic & Doctoris vestri Gloriam vestro honori & emolumento conjunctam optime consecrabitis.

Quoniam vero subitus hic turbo minime expectatam stragem nobis ex improvise attulit, liceat bona cum  
 venia

venia vestra, Auditores omnium Ordinum dignissimi, paullo propius in hunc casum aciem mentis deflectere. Nolo curiosius fatorum arcana scrutari, quæ adorari submissio obsequio verius est: toties tamen per hoc triennium pullato mœrore atratum Palladium, si sapere volumus, manifestum est Numinis peccatis nostris, quæ nunquam expiamus lati & securi futurorum, irati indicium, & tacita quædam admonitio, ut vitia nostra tandem emendemus. Sed & hic ipse tam subitus nec opinus Defuncti Nostri Celeberrimi BARBECKII excessus doceat nos, ut cum Vate Regio loquar, *dies nostros numerare, ut sapiamus*; doceat, inquam, ex mortis meditatione veros fieri Philosophos. Mortis lex certissima & immutabilis est, dies incerta. *Mors omnia viventia colligit & cogit quasi in commune concilium* ac Terræ gremium, ut Jobi Patientiæ Doctoris verba faciam mea: at *nescit homo diem suum*, exclamat Regum Sapientissimus, digitum in male securos inque diem viventes intendens. Scilicet ultimum diem, ultimam horam Deus nobis incertam esse voluit, ignotum etiam, quo nos loco Mors expectet. si quærimus causam, ut omnis hora locusque nobis sint suspecta, dum ad extrema sine intermissione properamus; latent ultima, ut observentur omnia priora; ne, cum imminent mortis pericula, sero parentur remedia. Dilatio melioris frugis sub spe vitæ producendæ maxima est vitæ jactura. Non quidem terrore mortis anxia & dubia vita est trahenda; sed hoc tamen curandum, ut quam diu, ita tam bene vivamus. Hoc faciemus, si veri simus Christiani, si Ducem Deum Dominumque nostrum Jesum pietate non simulata, sed vera & mascula sequamur. Sciamus, si cauti & prudentes esse volumus, omnem diem, omnem horam nostram

esse; quam ab homine profano & securo nesciri, modo dixit Sapiens Hebræus. nostra est omnis hora præsens; nam præteritæ fuerunt, & instar somnii oblitteratæ sunt, perierunt, nec restitui, nec reverti ulla vi possunt. manet tamen apud Deum Vindicem memoria vitæ nostræ tum temporis bene maleve actæ. proximam horam sibi nemo polliceri potest, cum nihil sit tam fallax, tam fugax, tam lubricum, quam vita humana. Vivamus ergo, ut morituri; sic moriemur æterno in gaudio victuri. Male mori non potest, qui bene vixit, quique vitam temperavit brevis ævi meditatione, ut discat bene mori; hoc enim est bene vixisse. Moriantur in nobis vitia, vivat Christus, ut quodocunque Dominus venerit, quæ hora incerta est, ut omnibus exspectetur; vigiles, intrepidus, paratos nos inveniat. Maxima est felicitas in felicitate piæ mortis, ad quam hæc vita iter esse debet. nec enim vita data est ad usuram flagitiorum, quæ vera est mors, inter metum & tormenta futuri supplicii misere fluctuans. Omnes dies horasque velut in Dei Judicis conspectu vivamus, sic extrema vitæ nostræ fluxæ hora erit miseriarum finis & beatæ immortalitatis natalis: Ita libens, intrepida, læta, imo gaudiis veris initiata anima nostra, Æternitatis beatæ Candidata, ad Patrem Cœlestem, ad Servatorem suum, quodocunque & ubicunque evocata fuerit, ex hoc corporis ergastulo super ipsa sidera evolabit.

D I X I.

Epi-

Epitaphium Insignibus Defuncti  
 juxta hypogæum ad cellam Ma-  
 joris Templi suspensis  
 subscriptum :

VIVIT POST FVNERA VIRTVS.

FRIDERICVS GODE-  
 FRIDVS BARBECK,  
 PHIL. ET MED. DOCTOR AC HVJVS IN  
 ACADEMIA HAC REGIA PROFESSOR PRI-  
 MARIVS PER ANNOS xxxIII. VIR RELI-  
 GIONE PIVS SINE FVCO, GENERE MEDI-  
 CIS CLARO ET NOBILISSIMO ORTVS,  
 ERVDITIONE CELEBERRIMVS, EXPERI-  
 ENTIA FELICISSIMVS: NATVS DVISBVR-  
 GI x. OCTOBR. AN. clb. Ibc. xLIv. CREA-  
 TVS IBIDEM MED. DR. xxII. JAN. AN. clb.  
 Ibc. Lxx. EODEMQVE ANNO PROFESSOR  
 ORDINARIVS: A VARIIS EXTERIS ACA-  
 DEMIIS LAVTE SOLLICITATVS PATRIAM  
 CONSTANTER PRÆTVLIT. OBIIT IN  
 SVO SERVATORE, VESPERA xxvIII. DE-  
 CEMBR. AN. clb. Ibcc. III. MARITO OPTI-  
 MO VIDVA MOESTISSIMA: PATRI BENE-  
 MERENTI LIBERI CVM LACRVMIS HOC  
 DOLORIS SVI MONVMENTVM POSVE-  
 RVNT.

RECTOR ET SE-  
NATUS ACADEMIÆ  
REGIÆ, QUÆ DUIS-  
BURGI CLIVIORUM  
FLORET,

LECTORIBUS S. P. D.



Visquis rerum humanarum vices attento  
secum animo reputaverit, eas profecto ille  
Oceano non male comparabit. Prout enim  
rarissima sunt in hoc Halcyonia, e contrario  
nimbi, procella, tempestatum intemperie,  
ventorum impotentia, undarum modo in  
sublime raptarum, modo ad innum præcipitarum gemi-  
tus, Syrtium scopulorumque pericula, Monstrorum furia,  
non una Charybdis, nec una Scylla, & tantum non sem-  
per fluctus contrarii fluctibus frequentantur: ita etiam  
cum vita nostra comparatum est. Pauci paucissimis illu-  
cescunt Soles sereni, plurimis nigri, quibus Pontus & A-  
zher videntur conspirasse ad vexandam vitam ratem. quod  
si porro ad rationem vocemus tot morborum examina &  
pericula, tot casuum incerta, tot adversæ Sortis procellas,  
Invidia, Calumnia, Malignitatis, Bellorum, quibus homo  
homini sit lupus, furias, & quod, dum huic favet Salacia,  
eodem momento alteri plane contraria sit, qui dum secun-  
dam experitur Veniliam, eandem alii adversam videt: si  
denique consideremus, quod sæpe illos tranquilla perdiderit  
Mala-

Malacia; quos servarant sævæ tempestates, alios in vado submersos, alios in ipso portu fregisse ratem, cum dies serena facie ridebat: si hisce bene computatis calculos recte ponimus, ubique naufragium est; & quemadmodum navigatio est audax professa mortis via, ita & noster in hunc Vita Oceanum inhospitalem introitus. Felices illi, qui ita in eo navigant Oceano, ut ratem dirigant ad portum Aeternitatis, ut lucida spectent sidera, ut, quia totam hanc vitam tot exercent adversa, passis velis ad perfugium, quod nobis paravit Servator, contentur perveni. Fecit hoc, & piis istis cogitationibus pectus jam olim impleverat, hac destinatione vita Oceanum enavigavit Vir Nobilissimus, Excellentissimus & Expertissimus FRIDERICUS GODEFRIDUS BARBECK, Phil. & Med. Doctor, ac hujus per totos xxxIII. annos in hac Regia Academia Celeberrimus Professor Ordinarius ac Primarius, Facultatis Medicæ hoc anno Decanus. Cælestem ille Portum attigit anno Cl. MCC. III. vespere diei xxvIII. Decembris hora VI. post sex dierum decubitum, morbis fracta, laboribus exhausta corporis rate. Sub finem anni Ille quidem finem navigationis sua fecit; at plurimos reliquit sine fine lugentes, & flebili desiderio amissum requirentes. Amisit enim Academia Regia Ordinis Sui ingens ornamentum, & quinque illius dexterrimum Governatorem: Amisit Resp. Medica nobile presidium, qui ad Artem Salubrem perficiendam unice natus erat: Amisit consecrata Aselepiadeis Sacris Juventus Doctorem facilem, eruditum, perspicuum; qui incidendi dexteritate corporis fabricam, partes, membra, velamenta, ligamenta, arterias, venas, nervos, intestina, viscera, tubulos, meatus, ossa diligentissime scrutatus, singulorum figuram, habitum, nexum, ordinem artificiosa disjunctione inveniendis accurate & apte demonstrabat; qui

ignis

ignis ope res abditissimas viresque Natura abstrusas aut  
necdum satis explicatas solerter dissolvebat ac enixissime  
perquirebat, ut ita experiendo Salubrium Artium Candi-  
dati eas cognoscerent; qui Academia Regia Hortum assidue  
obibat, & eundem cum Studiosis diligenter perlustrabat,  
ut Herbarum, atque ex his petitorum Sanitatis remediorum  
notitia eosdem imbueret; qui difficiles, dubias parumve  
exploratas morborum causas, febrium accessiones atque in-  
ducias studiosissime per-vestigabat; qui denique, ad Me-  
dendi Artem, planam omnibus Auditoribus viam faciebat:  
Amisit quoque Sapientia dedita Adolescentia Doctorem pu-  
rioris Philosophia, qui semper ad regiam clarissima certissi-  
maque veritatis Arcem contendebat, spretis aut precon-  
ceptorum opinionum, aut male sana Auctoritatis errori-  
bus: Amisit maestissima Vidua, Matrona lectissima, Mari-  
tum optimum, Domus suae Tutelam Decusque: Amiserunt  
Liberi quatuor, bini Filii, totidemque Filiae, (quarum natu  
minima miseriam & jacturam suam nondum intelligit:)  
Parentem indulgentissimum, Morum Formatorem, Picta-  
tis Praeceptorem, Exemplum, quod intuerentur & imita-  
rentur: Amisit denique tota Civitas & vicinus longe late-  
que terrarum tractus veluti quendam Hippocratem, qui  
expedita doctae Artis ratione, & Experientia longo usu con-  
firmata Aegris laborantibus opem auxiliumque presentissi-  
mum pollicebatur; Ita innumeros prompto medendi consilio  
restituit, aut ubi Malum extra spem salutis positum erat,  
saltem levavit Aegros. Ita porro fide Germana, cultu  
Artis, studiis erga omnes omnia Vita officia constanter re-  
tinuit & obivit, ut omnibus fuerit in oculis. At horrida  
fuit procella, quae, dum nostrum Collegam Honoratissimum  
vasa colligere & portum petere jussit, gravissima tempe-  
state Academiam Regiam afflixit: haec jacturam flebilem,  
qualis

qualis apte verbis exponi nequit, fecit tanto Viro, & Professore Celeberrimo, amisso. Superest ex Majorum ritu consecranda, ad Posterorum exemplum, memoria meritorum Defuncti: quo in officio persolvendo partes nostras demandavimus V. N. HENRICO CHRISTIANO DE HENNIN, Doctore Medico, Medicinæ, Historiarum, Eloquentiæ Græcæ & Latinæ Professore Ordinario; cum maxime Ordinis Medici iterum Decano & Academiæ Regiæ Rectori Magnifico; qui Nobilissimo Collegæ nostro Defuncto solenniter, in Acroaterio Majore pullato, ad lumina accensa, post peracta in Templo Majore justa funebria, parentabit. Justa autem hac Solennia utraque decreta sunt in diem proximum Veneris, Iv. Januarii, anni cl. lccc. III. quem Vobis, Lectores, melioribus auspiciis inchoandum faustum felicemque apprecamur. In Aede Majore horis a meridie solitis ad signum ferale aris Campani rite componentur Defuncti reliquia, Terræque matri in spem beatæ resurrectionis credentur. Quare Vos, CIVES NOSTRI, ad supremum, ut par est, officium decenter solvendum invitamus. Religionem meritorum Defuncti, qui tot annos Doctor vester Studiorumque Adjutor fuit fidelissimus, animis vestris injicimus, ut virtutem Ejus illustri loco sitam gratissima memoria prosequamini & concelebreis. Fiet hoc, si frequentes lugubri comitatu Exsequias & Justa in Templo; Parentalia in Academiæ Auditorio majore honoretis. Exigit hoc ipsum ultro a Vobis & ritus morisque, ac mutua Caritatis Christianæ ratio. Sic enim ex dolentium frequentia aliquod opportune solatium derivabitur in Viduam, Matronam nobilissimam, incredibiliter lugentem; ac in Liberos in decus familia genitos, jam vero lacrumarum imbre squalescentes. Ita Valete & Feliciter res vestras gerite! Propositum ex Scto die xxx. Decembris anni cl. lccc. III.

E

Quia


Quia pag. 18. mentio facta est Dissertationum Variarum  
Beati Defuncti, libuit in gratiam φιλοβιβλων & Eo-  
rum, quibus Defuncti memoria cara est & sa-  
cra, hic attexere illarum Indicem.


1. De *Phthisi*. Respondit AUGUSTINUS ARNOLDUS a WORRINGEN, *Bohemia Marcanus*. 1671.
2. De *Musculis eorumque motu*. Resp. CASPARUS BLECHEN, *Marco Westphalus*. 1674.
3. De *Spiritibus, praesertim Animalibus*. Resp. ANTONIUS LEURS, *Clivensis*. 1676.
4. De *Dysenteria Anno superiore (1676.) civitati huic (Duisburgensi) Epidemica*. Resp. ADOLPHUS ISAACI, *Meursanus*. 1677.
5. De *Fermentatione*. Resp. LUDOVICUS PHILIPPUS von DAHLEN, *Lutrea-Palatinus*. 1677.
6. De *Naturali ac spontanea corporum Dissolutione*. Resp. HENRICUS WILHELMUS KEITWERDT, *Embricensis*. 1678.
7. De *Effervescentia*. Resp. HENRICUS DAELHAUSEN, *Dordraco-Batavus*. 1678.
8. De *Tremore Terra*. Resp. PETRUS BOCK, *Juliacensis*. 1678.
9. De *Principiis Chymicis ad praxin applicatis*. Resp. JODOCUS WILHELMUS HAVER, *Nortkerkena-Monasteriensis*. 1680.
10. De *Cerebri Humani Anatomia & usu*. Resp. JOHANNES WILHELMUS SIBENIUS, *Julio-Gladbacensis*. 1681.
11. De *Medio Ventre seu Thorace*. Resp. JOHANNES ADOLPHUS GOEDDÆUS, *Marsensis*. 1682.
12. De *Infimo Ventre seu Abdomine*. Resp. FRIDERICUS

CUS GODEFRIDUS SYLVESTER ERKELS,  
*Hattnega-Marcanus. 1683.*

13. De *Natura Hominis ac Mentis imperio in Corpus, & Corporis actu in Mentem.* Resp. JOHANNES ANTONIUS STOCK, *Montanus. 1684.*
14. De *Insomniis, eorumque causis ac praesagiis ex naturalibus principiis deducta.* Resp. JOH. HERMANNUS SCHALBRUCH, *Duisburgensis. 1685.*
15. De *Morbo Maligno seu Petechiali, qui Teutoburgi Cliviorum an. 1685. grassatus fuit.* Resp. JOH. GODEFRIDUS MARTIUS, *Elberfelda-Montanus. 1686.*
16. De *Sanguinis Corporis Humani purificatione, nec non Rectificatione, Humanorumque excretorum usu.* Resp. JOHANNES BERNHARDUS BECHER, *Sevenaria Cliviensis. 1686.*
17. De *Spectris, Lemuribus, ac Ostentis, ex Medicina & Philosophia principiis deducta.* Resp. ALBERTUS WITTEN, *Gelro-Dotinchemensis. 1687.*
18. De *Sanguinis Corporisque Humani Purificatione Artificiali.* Resp. MATTHIAS SCRIBA, *Duisburgensis. 1688.*
19. De *Veneno, prior.* Resp. JOHANNES HENRICUS WASMUHT, *Kettwiga Marcanus. 1689.*
20. De *Veneno, posterior.* Resp. JOHANNES SUDECIUS, *Clivio-Embricensis. 1689.*
21. De *Influentiis seu Influxu Corporum Caelestium in haec Inferiora.* Resp. JOHANNES PHILIPPUS HOFFSTADT, *Dusseldorpio-Montanus. 1690.*
22. De *Thermis & Acidulis.* Resp. LAURENTIUS ERBERFELD, *Colonia-Agrippinensis. 1690.*
23. De *Thermarum ac Acidularum usu, ex Chymicis & Physicis deducta Principiis.* Resp. HENRICUS CRATO

- CRATO BRUCKMAN, *Creiveldia - Mewsenfis.* 1690.
24. De *Generatione.* Resp. HENRICUS JACOBUS CONTE, *Dusseldorpio - Montensis.* 1691.
25. De *Catameniorum Fluxu.* Resp. CHRISTOPHORUS WITTICHIUS, *Aquisgranensis.* 1692.
26. De *Generatione Animalium.* Resp. JOHANNES THEODORUS SCHOMBART, *Duisburgo - Clivienfis.* 1693.
27. De *Vita.* Resp. PETRUS HENRICUS SCHMITZ, *Clivio - Duisburgensis.* 1694.
28. De *Generatione Corporis Humani.* Resp. SAMUEL a BERGH, *Duisburgo - Clivius.* 1695.
29. De *Generatione Hominis.* Resp. JOHANNES CONRADUS MELM, *Dusseldorpio - Montanus.* 1695.
30. De *Febrium Differentia ac Natura.* Resp. BERNHARDUS HENRICUS BRAUNS, *Cosfeldensis.* 1696.
31. De *Accessu & Discessu Solis quotidiano, nec non ejus ad circulos Aestatis & Hyemis appropinquatione, ac inde consequente Dierum ac Noctium vicissitudine.* Resp. WERNERUS WILHELMUS BECKER, *Xantho - Clivius.* 1697.
32. De *Igni Aereo & Subterraneo, ejusque admirabilibus effectis, pluribusque Meteoris.* Resp. THEODORUS HENRICUS MEYER, *Clivienfis.* 1698.
33. De *Natura Bilis, Hepatis & Lienis Phlegmasia, per Autopsiam in duobus Subjectis inventa.* Resp. ERHARDUS BRUNNERUS, *Dissenhofia - Helvetius.* 1699.
34. De *Corde Occulto, indeque Hydrope Ascite consequente, cultro Anatomico in Subjecto quodam deprehensis.* Resp. ERHARDUS BRUNNERUS, JO. CONR. F. *Dissenhofia - Helvetius.* 1701.
35. De *Calculorum & Lapidum Macrocosmi & Microcosmi naturalis & praternaturali constitutione, ex principiis Physicis, Chymicis & Medicis deducta.* Resp. JOHANNES BERNHARDUS HOFFSTADT, *Dusseldorpio - Montanus.* 1793.
- Notet Lector, quod Dissertationes 10. 11. & 12. agant de Tribus Trunci Civitatibus, *Capite, Thorace, Abdomine*, adeoque iungendae sint; Dissertationes item 24. 25. 26. 27. 28. 29. quae totum *Generationis* negotium absolvunt.





Inches 1 2 3 4 5 6 7 8

Centimetres 1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 16 17 18 19

**TIFFEN** Color Control Patches © The Tiffen Company, 2007

Blue	Cyan	Green	Yellow	Red	Magenta	White	3/Color	Black
